

nus Cono de Beth et Barones parlamentum constituimus ad Rodesum ut super negotijs huius Imperii providiamus; Et ut concordetur factum possessionum Ecclesiarum cum Imperio. Quibus omnibus in eodem Parlamento duodecima die intrante mense Octobris congregatis: Praescriptus Dominus Cardinalis ait omnibus dicens, Quia summus Pontifex misit ipsum ad hoc Imperium, pro facto Possessionum Ecclesiarum inquirendum. Quas sic Vobis peto, in primis, ut deliberare debeatis mihi omnes possessiones Ecclesiarum Cathedrarum, et aliarum. Quas si omnes refutare (1) nolueritis, quero, ut refutetis omnes possessiones supradictarum Cathedrarum Ecclesiarum et duodecimam partem omnium aliarum possessionum Imperij. Et pro unoquoque agricola laboranti modium frumenti, et ordeum unum. Et de his omnibus introitus transactorum trium annorum querebat. Et usque ad tres annos haec tenere volebat. Et hoc notificare Domino Papae ut in suo permanente arbitrio, dum esset Summi Pontificis, et Sanctae Romanae Ecclesiae voluntatem: et usquedum Imperium pervenerit ad bonum statum. Postea quoque voluerit. Ut omnes possessiones Ecclesiarum eisdem Ecclesijs deveniant. Et Milites omnes, et Villani rectum decimum reddere debeant.

Sed praedictus Dominus Cardinalis dicebat: Quod si praedicti Barones facere vellent: quia ipse facere restituere eis duodecimam partem possessionum Imperii: quia ab Imperio ipsis Ecclesijs fuit assignatum.

Super hoc ipsi Barones et Nos nimis ventilantes, cum eo tandem ad talem finem devenimus. Super quibus ipsi Barones, et Nos consulti, terminum recepimus ab eis, quod Nos, ipsis undecim die astante suprascripto mense Octobris respondemus. — Et sic tunc ipsi Barones a Rodeso recesserunt, Consilium super hoc habituri. Et ad talem secum devenerunt finem, sicut melius cum eo facere non potentes. Quod dabunt ei tennatam de tribus millibus yperperorum de redditibus annuatim, pro totis possessionibus, quas tenent per Imperium Romaniae a mane versus Constantinopolim et ultra Brachium; ita quod deberet scribere Domino Papae: ut super eis misericor-

(1) *Cedere, rinunciare.*